



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 4. Pro alijs quibusdam Missionarijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

§. 2. Pro Vicariis Apostolicis Hibernie.

Acmodari his solent à Sede Apostolica eadem facultates & gratiae, quae Episcopis in prædicta formula attribuuntur, pro locorum consuetudine, omisâ facultate 25. 26. 27. 28. uti habet praxis libera Congreg. de propag. fide.

§. 3. Pro Superioribus Regularium ibidem.

Concedi postulantibus solent etiam Facultates supradictæ: sed omisâ 14. item 25. 26. 27. 28. & 24. ex parte mutata, hoc modo: Communicandi prædictas facultates duobus Sacerdotibus suæ Religionis in quolibet Conventu, aut Monasterio existente in Civitate aut opido insigni, Theologis tamen, aut in aliquo Collegio benè instructis &c.

§. 4. Pro aliis quibusdam Missionariis.

Exstant & aliæ facultates his minores quas aliquando idonei quidam Missionarij à sacra Congregatione, aut Apostolico Nuncio impretrare solent. Tales sunt ex facultatibus suprà recensitis 1. 2. 5. in foro tantum interno, & 10. absolvendi & dispensandi in simonia, sed cum varia restrictione. Item 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. Quibus additur potestas dispensandi, cum pauperibus tantum, in 3. & 4. gradu consanguinitatis, & affinitatis simplici & mixto, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo quoad matrimonia futura. Item in impedimento publicæ honestatis, & cognationis spiritualis, præter levantem, & levatum; & modò in prædictis mulier non

Pars 3. tract. 2. cap. 5. Facultates Missinum. 247
non fuerit rapta , aut saltem in potestate raptoris non existat. Insuper benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Sacrificium Missæ , ubi non intervenit Unctio : quibus & alia subinde ad-
duntur.

§. 5. Pro Regno Angliae.

Cum in eo regno non sint Episcopi , aliis Prælatis, & idoneis quibusdam Missionariis concedi solent omnes facultates, quas suprà reconsuimus pro Superioribus Regularium, & pro quibusdam Missionariis in Hibernia : immutato nonnihil articulo de communicatione facultatum, & ablata restrictione ad art. 19. hoc modo : Administrandi omnia Sacraenta etiam parochialia, Ordine & Confirmatione exceperis. Sic enim ea facultas pro Anglia à S. Congr. ex-
primi solet.

§. 6. Pro Provinciis Hollandia, & confederatis.

EX Ordinatione sacræ Congregationis pro Episcopis titularibus Hollandiæ easdem facultates concessas reperio quas suprà adduxi in formula pro Episcopis Hiberniæ. Nisi quod tertia facultas in illis Provinciis , ad pauperes restringatur : & decima ex parte mutetur , & in 24. potestas communicandi has facultates relin-
quatur huic Episcopo exercenda in Sacerdotes idoneos, sine restrictione, prout secundum con-
scientiam opus esse judicaverit.

Alij in Hollandia Missionarij impetrare solent facultates similes iis , quas Missionariis quibusdam Angliae , & Hiberniæ concedi declaravi-
mus.